Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Programma Quo Studiosa Iuventus A Conviviis Nationalibus aliisq[ue] consimilibus Commessationibus & Compotationibus, ad temperantiam vitæque sanctimoniam sectandam revocatur: tum & de pace cum civibus colenda, deq[ue] non offendendis neq[ue] provocandis militibus admonetur

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742267156

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

1627

T. 511.
1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742267156/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742267156/phys_0002
DFG

PROGRAMMA
QVO

STUDIOSA JUVENTUS A CONVIVIJS Nationalibus alijsq; consimilibus Commessationibus & Compotationibus, ad temperantiam vitæqve sanctimoniam sectandam revocatur: tum & de pace cum civibus colenda, deq; non offendendis neq; provocandis militibus admonetur.

BIBLIOTHEK D. MECKL. ENB. U. LANDESHAFT.

ROSTOCHI
Literis JOACHIMI PEDANI,
ANNO M. DC. XXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742267156/phys_0003
DFG

RECTOR
Academiæ Rostochiensis
JOANNES ASSVERUS,
Ampsingus Transisulanus Med. D. & Prof.

QVoties Ecclesiam Dei publica aliqva afflixit clades, toties ad Deum ceu ad unicum & supremum suum asylum confugerunt, & ab illo opem efflagitarunt cum jejunio & planctu, id qvod docent exempla tum Veteris tum novi Testamenti. Legimus in libro Judicum c. 20. cum Israelitæ duobus prælijs contra Benjamitas de suis amisissent qvadraginta virorum millia; universos convenisse in Bethel, & illic plorantes ante Jehovam mansisse, & eo die ad vesperum jejunaße, eiq; solida sacrificia fecisse, præeunte eos Phinea, Eleazari filio sacerdote. Et 1. Chron. 10. Cæso à Philistæis Saulo cum tribus filijs Jonathane, Abinadabo & Melchisua, Jabenses septem dies jejunasse. De Ninivitis legimus, Eos auditâ Jonæ voce proclamantis, fore ut post 40. dies Ninive everteretur: Jejunium proclamasse & centones seu Cilicia induisse summos juxta & infimos, & re ad Ninivæ regem perlatâ, eum surrexisse de solio, & de posito insigni suo, operuisse se centone, & sedisse humi, & jußisse Decretum Regium per Niniven prædicari & pronunciari, Ne homines, neve

pecora,

pecora, sive majora, sive minora, qvicqvam gustarent, neve pascerentur aut aqvam biberent. idq; factum. Nam, hominibus pariter & pecudibus centones seu cilicia indutis, Ninivitas Deum vehementer implorasse, & sese à pravis suis moribus & injustitia qvam exercuerant, revocasse: si fortè reconciliatus Deus sese contineret, & ab iræ suæ fervore retraheret, atq; ita fieret, ut non perirent.

Tempore Joelis Prophetæ, cùm imminneret magnus annonæ defectus ob exercitum Dei Locustarum aliorumq; animalculorum à Deo immittendorum, qvæ segetes aliaq; omnia viridia depascerentur; Joel Ecclesiam universam adhortatus fuit ad seriam pœnitentiam, ut ad Deum ex toto corde conversi peccata sua deprecarentur, & cum Deo in gratiam redirent. Accingite vos & plangite inqvit cap. I. O sacerdotes, ejulate ministri altaris, ingrediminí & pernoctate in cilicijs, ministri Dei mei, &c. Indicite jejunium, proclamate diem interdicti. Congregate seniores, & omnes habitatores terræ in domum Jehovæ vestri, & clamate ad Jehovam. Et c. 2. Qvapropter etiam nunc, dictum Jehovæ, convertimini ad me, ex toto animo vestro & jejunio, & fletu & planctu, Lacerate corda vestra, ac non vestes vestras, & revertimini ad Jehovam Deum vestrum: qvia gratiosus & misericors est, longanimis & amplus benignitate, ut pœniteat eum hujus mali, &c

Clangite buxina in Zyonie, indicite jejunium proclamate diem interdicti. Colligite populum, indicite congregationem, congregate senes, colligite parvulos & sugentes ubera. Egrediatur sponsus è cubiculo suo, & sponsa è thalamo suo. Inter ipsum vestibulum & altare fleant sacerdotes, ministri Jehovæ & dicant, parce Jehova populo tuo, & ne exponas possessionem tuam opprobrio, ut dominentur in eos gentes. Cur dicerent in populis, ubi est Deus istorum?

In novo Testamento idem factitavit Ecclesia Apostolica. Nam Apostoli egressi ad Christo colligendam Ecclesiam, quocunq; locorum pervenerunt, sparso verbi semine & facto aliquo Ecclesiarum initio oppidatim illis præfecerunt Presbyteros, & alio locorum perrecturi, cum precibus & jejuniis commendarunt eos Domino in quem crediderant, Act. 14, 21. 22. 23. Tit. 1. 5. Act. 12. 5.

Idem omnino factitatum fuit in primitiva Ecclesia ut rem quamcunq; arduam auspicarentur à precibus & jejuniis, & in quacunq; necessitate publica Deum per preces & jejunia in auxilium vocarent, & puto illa quæ Paulus de suis crebris jejuniis commemorat partim de publicis, partim de privatis jejuniis esse intelligenda, 2. Cor. 6, 5. & 2. Cor. 11, 27. Summa, id omnino constat, tum Ecclesiam universam, tum seorsum singula Ecclesiæ membra in omni semper necessitate per preces & jejunia ad Deum con-

confugisse, & rectè dixerunt Veteres jejunium & eleemosynam esse duas alas, qvibus preces ad Deum sursum ferantur & in cœlum volent; Plenus enim & vino turgens venter, ad precandum est ineptus, nec exaudit Deus preces hominis crapulosi. De industria ceu scopulum hoc loco de vito materiam Jejunii Qvadragesimalis qvod ab Apostolis fluxisse nonnulli veterum primæ notæ testantur. Id solum dico, veram synceram & seriam vitæ sanctimoniam non posse conservari sine precibus & jejuniis. De Anna Prophetissa certè scribitur, non abscedebat à templo, jejuniis ac deprecationibus serviens Deo nocte ac die, Luc. 2. 37. Et Paulus præcipit Conjugibus ut ex consensu à sese invicem seu mutuo ad tempus abstineant, ut vacent jeiunio & precibus, 1. Cor. 7, 5. Sed venter caret auribus, & credo ego non defuturos impios qvosdam ventres qvi hæc rideant.

Sed nunc videamus qvosnam pii Prophetæ habuerint Adversarios. Erant illi fere trium generũ, Primi generis erant Reges, regni proceres & tum Prophetæ, tum sacerdotes idololatræ, Secundi generis fuerunt Sacerdotes scribæ & Pharisæi de qvibus Servator noster dicebat. In Cathedra Mosis sedent, omnia qvæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite; sed secundũ opera eorũ ne facite: Dicunt enim & non faciunt, Ligant onera gravia difficiliaq; portatu, & imponũt in humeros hominum; digito autẽ

suo nolunt ea movere. Omnia verò opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & producunt fimbrias palliorum suorum, amantq; primos consessus in conventibus, & in foris salutationes & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi, &c. Matt. 23. Tertii generis erat populus qui sacerdotum suorum corruptos mores imitabatur, eratque populus sicut sacerdos & vice versa sacerdos sicut populus, Hos. 4, 9. Exēplis singula sunt illustrāda.

Exemplum primi generis extat, 1. Reg. 22, & 2. Chron. 18. in historia de Propheta Micha ejusq; adversariis Zidekia filio Knaena cum sociis tota Baalitarum cohorte. Deinde etiam 3. Reg. 18. in historia illa memorabili Prophetæ Eliæ, qui 450. Prophetas Baalitas una cum 400. Prophetis Lucorum, qui comedebant de mensa Jesabel ad torrentem Cison interfecit.

Ad secundi generis exempla pertinet historia Ieremiæ Prophetæ, quam qui volet, legere potest Ier. c. 18. v. 18, 19. cap. 20. v. 1. cap. 26. v. 7. & seq. cap. 33. v. 1. cap. 37. v. 12. cap. 38. v. 4. 7. cap. 40. v. 1.

Huc etiam refero illud Es. 28. v. 7. & seq. ex version e Lutheri. **Beyde Priester vnd Propheten seind toll von starcken Getränckc. Sind im Wein ersoffen/ vnd daumelen von starcken Getränckc/ etc.** *Et Esa. 56. v. 10. & seq. Isti canes ingluviosi, avidissimi, nesciunt saturitatem. Propterea ipsi pascunt se,*

nesciunt

nesciunt docere, qvotqvot sunt, ad viam suam se convertunt, suum qvisq; lucrum sectantur. Venite sumamus vinum & ingurgitabimus nos temeto, seu potu in ebriante, eritq; similis huic dies crastinus, imo maior & multo celeberrimus. Lutherus vertit:
Kompt her/lasset vns Wein holen vnd full sauffen. Vnd sol morgen sein wie heute/vnd noch viel mehr.

Sacerdotum & Clericorum exemplum seqvitur populus. Nam dicente Hieronymo, Domus Episcopi & conversatio, qvasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ. Qvicqvid fecerit: id sibi omnes faciendum putant. Epist. ad Heliodorum. Sic enim argumentantur Paulus inqvit Phil. 4, 9. Qvæ vidistis in me, hæc facite: Ergo qvæ videmus in Episcopis, Presbyteris & Diaconis nostris, hæc faciamus. Illi multo vino dediti sunt & multo vino serviunt, 1. Tim. 3, 8. Tit. 2, 3. Ergo licet & nobis strenuè potare. Illi inebriantur vino Eph. 5, 18. idq; fit citra vituperium ministerij, 2. Cor. 6, 3. Ergo & nos inebriemur vino, idq; fiat citra vituperium nostri ordinis. Illi patrocinium præbent convivijs nationalibus, inq; una mensa fercula offerunt 42. apparatu regio: Qvidni liceat & nobis nuptias celebrare, qvas vocant nuptias Pennalium? Vehementer, dicente Hieronymo, Ecclesiam Dei destruit, si laici meliores sint qvàm Clerici. Et scribit Gregorius. Cùm Majores voluptati deserviunt, Minoribus lascivie frena laxari. Greg. lib. Moral.

Qvi hinc Ebritatis fructus scaturiant, vidimus (prò dolor) superioribus diebus, qvandò inter Studiosos & Milites ingens exorta & concitata fuit rabies duobus diversis casibus, in qvorum altero civium fenestræ excussæ sunt, & in altero miles gladio confossus, perijt. Adeò verum est qvod dixit qvidam Ebrietatem esse matrem litium, furoris generatricem, petulantiæ magistram. Hanc, qvi habet: homo non est. Hanc qvi habet non peccatum facit, sed est ipse peccatum.

Cum

Cum verò ejusmodi atroces petulantiæ certam minentur Academiæ nostræ perniciem, nisi maturè illis obviam eatur: putavimus officij nostri esse hoc publico Programmate Academiæ cives cujuscunq; sint ordinis monere, ut qvisq; sollicitus sit, accuratamq; cautionem adhibeat de ejusmodi casibus tragicis evitandis impediendisq;. Majores & maximè ij qvi commensales alunt, cogitent Studiosos huc à Parentibus missos esse non commessandi gratia sed studendi, & studijs convenire non gulã non vinolentiam, nõ crapulam, sed vitæ temperantiam & frugalitatem. Itaq; crebris eos admonitionibus ad pietatem ad temperantiam & ad vitæ sanctimoniã hortentur, nedum ut ansam illis subministrent ad intemperantiam & ad fructus qvi ex intemperantia consequuntur. Ipsis vero Studiosis edicimus ut memores juramenti sui, servent Statuta Academiæ, inter qvæ illud est de non habendis convivijs Nationalibus, & similibus compotationibus, Abstineant â clamoribus Cyclopicis & Stentarijs tum nocturnis, tum diurnis, qvi verius pecuinos beatus referunt qvam vocem humanam. pacem colant cum civibus, cum militibus nihil habeant negotij, omneq; offensionum devitent occasiones. Qvi secus faxint, in hos R. Concilium post hac severius animadvertet & Relegationis pœnam stringet. Cogitemus ea esse hæc tempora qvæ pœnitentiam jejunium fletum & planctum à nobis postulent, non ingluviem non repletionem, non gulam, non commessationes, non ebrietates. Itaq; exemplum imitemur Ecclesiæ non pseudo sacerdotum, gulosorũ, ebriosorum, lurconum, ventrium, qvos Esaias describit: maximè cùm ipsos etiam ebriosos & vini potores nominatim Joel è somno & veterno ad flendum & ejulandum excitet, cap. 1. v. 5. Ipsum nomen Christianum vel solum in nobis restingvat Ebrietatis ardorem. Baptizati sumus in Christum, crucifixum & mortuum Rom. 6, 3. crucifigamus ergo & mortificemus in nobis ebriositatem Vosipsos explorate num in fide sitis 2. Cor. 13, 5. Non possunt Ebrietas & fides simul regnare in eodem Subjecto, nec vult Spiritus S. habitare in doliis Bacchi. Dixi, & liberavi animam. P. P. Dominicâ Palmarum, 1627.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742267156/phys_0010
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742267156/phys_0011
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn742267156/phys_0012
DFG

nesciunt docere, qvotqvot sunt, ad [illegible] *se*
convertunt, suum qvisq; lucrum sect[illegible] *mite*
sumamus vinum & ingurgitabimus [illegible] *, seu*
potu in ebriante, eritq; similis huic die [illegible] *imo*
maior & multo celeberrimus. Lu [illegible] *rtit:*
Kompt her/lasset vns Wein holen v [illegible] **ffen.**
Vnd sol morgen sein wie heute/vnd [illegible] **ehr.**

Sacerdotum & Clericorum exemplum [illegible] *ulus.*
Nam dicente Hieronymo, Domus Episcop [illegible] *atio,*
qvasi in speculo posita, magistra est publica [illegible] *Qvic-*
qvid fecerit: id sibi omnes faciendum putar [illegible] *Helio-*
dorum. Sic enim argumentantur Paulus [illegible] *4, 9.*
Qvæ vidistis in me, hæc facite: Ergo qvæ v [illegible] *piscо-*
pis, Presbyteris & Diaconis nostris, hæc facia [illegible] *to vi-*
no dediti sunt & multo vino serviunt, 1. Ti [illegible] *. Er-*
go licet & nobis strenuè potare. Illi inebriant [illegible] *5, 18.*
idq; fit citra vituperium ministerij, 2. Cor. 6 [illegible] *s in-*
ebriemur vino, idq; fiat citra vituperium no [illegible] *Illi*
patrocinium præbent convivijs nationalibu [illegible] *nsa-*
ferculà offerunt 42. apparatu regio: Qvi [illegible] *nobis*
nuptias celebrare, qvas vocant nuptias Pen [illegible] *men-*
ter, dicente Hieronymo, Ecclesiam Dei destru [illegible] *liores*
sint qvàm Clerici. Et scribit Gregorius. Cùm [illegible] *ptati*
deserviunt, Minoribus lascivie frena laxari [illegible] *loral.*

Qvi hinc Ebritatis fructus scaturiant, [illegible] *ô do-*
lor) superioribus diebus, qvandò inter Stud [illegible] *es in-*
gens exorta & concitata fuit rabies duobus a [illegible] *us, in*
qvorum altero civium fenestræ excussæ sun [illegible] *o mi-*
les gladio confossus, perijt. Adeò verum est q [illegible] *idam*
Ebrietatem esse matrem litium, furoris gene [illegible] *lan-*
tiæ magistram. Hanc, qvi habet: homo non e [illegible] *habet*
non peccatum facit, sed est ipse peccatum. [illegible] *Cum*